



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apologia Pro Conscientiis infirmis, Sev Responsio Benigna Pro securitate dictaminis practici super certa probabilitate fundati**

**Fibus, Bartholomaeus  
Schweitzer, Johannes**


**Coloniae, 1682**

§. Sextvs. Quomodo post damnatas propositiones procedendum sit  
Advocato, Judici, Religioso, &c. in dubio juris?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39304**




do & periculo spirituali possent pœnitentes, juxta ea quæ meliora & probabiliora sunt, ad portum salutis perducere. Consilium super his demus: Nemini tamen conscientiam peccati injiciamus.



### S. S E X T V S.

*Quomodo post damnatas propositiones procedendum sit Advocato, Judici, Religioso, &c. in dubio juris?*

I.  *D*ico licere *Advocato*, quamdiu potest, defendere causam licet minus probabilem, dummodo certo probabilem: prosequitur enim jus clientis. Si tamen ob rationes novas desinat esse probabilis causa, non tantum tenetur monere clientem, sed etiam desistere, cum nullum habeat jus *Advocatus* ad emungendum clientem in talibus circumstantiis per se loquendo: neque cliens ad vexandum adversarium. Nunquam tamen licitum est *Advocato*, utrique simul factioni oppositæ servire; quia id foret contra fidelitatem: licebit tamen successivè, dummodo non prodantur secreta.

2. Ju-



2. Judex non potest sententiam ferre pro causa minus probabili, ut ex allegatis & probatis tali: quia sic non satisfaceret officio habentis potestatem publicam ex legibus judicandi. Videatur super hoc *S. Thomas 2.2. q. 67. art. 2.* Imò super hoc damnata est *propositio secunda ab Innocentio XI.* quæ sic habet: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* Sed quid si utrimque causæ essent æquè probabiles? Respondeo, pro tunc damnari ab *Alexandro VII. propositionem vigesimã secundã,* quæ sic habet: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniã accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ aliã.* Itaque pro illo casu compositio ineunda, vel res dividenda, vel, si litigantes non acquiescant, ad altius judicium remittendi. Et hæc intellige in *causis civilibus*: quia in *criminalibus contra reum sanguinis* requiruntur argumenta certa. Utrum verò judex aliquem possit damnare ad mortem, qui convictus est in judicio, sed privatã tamen judicis scientiã scitur esse innocens, controvertitur. *S. Thomas* & alii dicunt licere; alii autem communiùs videntur negare. Ubi hoc tamen adverte, quòd doctrina allata non teneat in *causis privilegiatis*, quales sunt *causæ piæ, templorum, monasteriorum, hospitalium, pupillorum, &c.* quia dari videtur à legibus privilegium, ut suã etiam minore probabilitate ejusmodi causæ attrahant ad se judicis sententiam. Ex quibus vides magnam re-



quiri in Judice *scientiam, incorruptionem & circumspeditionem*, ut tale officium non temerè ad-eundum sit cupienti æternùm salvari.

3. Quod ad officium *Religiosorum & subdito-rum* attinet. Respondeo ex communi, obediendum esse præcipienti Superiori, ubi etiam præcipitur, quòd juxta minùs solùm probabilem sententiam licet. Ratio est, quòd Religiosus profiteatur viam ad perfectionem, seque ab ea via non recessurum voveat: adeoq; cùm perfectionis sit parere in omnibus, ubi certa peccati ratio non occurrit, ibi præsumendus erit superior esse in possessione ad imperandum. Igitur & subditus ad obediendum. Plura qui volet consulat Aucthores.

